

subitò quis interrogatur, & debet protinus respondere: tunc enim vniuersalis illa apprehensio sensus possibilis satis erit, & in consulo dicere: *Volo iurare eo modo, quo possum.*

96 Concludit illa num. 12. prædictam doctrinam sustineri posse, licet iuramentum exigens dicat velle se vt alter iuret omni remotà æquiuocatione; tunc enim, si illicite petit, poterit iuraturus dicere se in iuramento nullam adhibiturum æquiuocationem, immò & id iurare; intelligendo additum aliquid interius. E. g. nolle æquiuocare modo indebito, vel quid simile: ita vt cum tali addito assertio exterior vera reddatur. Quod quidem satis verosimile est: & vt procedere sine scrupulo possit, addendum id, quod nuper appositum, scilicet necessarium non esse vt in particulari aliquid interius concipiatur, sed statuat quis se iurare velle negando æquiuocationem eo modo, quo illam negare potest: & potest quidem intelligendo de conceptibus mentis, quibus verba respondent, in quibus esse æquiuocatio nequit; iuxta communem Dialecticorum doctrinam, ex Philosophorum Principe desumptam. Et quia hoc subtilius est, nec omnium captui accommodatum, id quod nuper diximus de æquiuocatione modo illicito facilius vsurpandum. Si hoc etiam addamus, instrui minus capaces posse, vt æquiuocationem sub iuramento negent, referendo se ad peculiare modos, quos Confessarius scit, & esse licitos ipsi sciunt, quibus Deus vt credamus iubet, vel vt iuuent sub consensu illà ratione, & semper sine animo mentiendi. Videatur etiam P. Hermannus Busembaum in *Medulla Theologiæ moralis, Lib. 3. Tractat. 2. Cap. 2. Dub. 4.* vbi generalem regulam ex aliis tradit, posse scilicet iurari cum æquiuocatione quoties iusta causa est, & ipsa æquiuocatio licet: quia vbi est ius occultandi veritatem, & sine mendacio occultatur, nulla irreuerentia fit iuramento. Itaque quoties licita est æquiuocatio, est etiam licitum iuramentum: est autem illa licita, quoties ratio pro ipsa vtilitatis interuenit, & generaliter non leuis conuenientia.

AD TITVLVM V.

Circa Caput III. num. 14.

Vbi de Officialium Regionum negotiatione cum Regiâ pecuniâ.

97 **Q**uæ ibi à Nobis dicta, firmat P. Gibalinus Tomo 1. de *Vsuris, Lib. 2. Cap. 6. Artic. 6. Confessario 1.* Vt raro fit licita, sed non contra iustitiam, & cum fructu indutriz. Videatur, est enim vir doctus, & non vulgariter eruditus.

Circa Caput XII. & num. 90.

Vbi de incertorum restitutione.

98 **S**tante obligatione restituendi pauperibus, de quâ & num. 91. fieri eidem satis, si quis antea illius immemor elemosynas fecisset, ex Bartholomæo à Sancto Fausto, Candido, & Morono, habet Lezana Tomo 5. in *Mari-magno Minimorum, num. 67.* exemplo eius, qui donauit creditori. Non esse autem obligationem restitutionis habet ille cum multis, quos adducit in *Mari-magno Minorum, n. 74.* Quod & absolute tenet P. Tamburinus in *Decalogum, Lib. 8. Tractat. 4. Cap. 1. §. 3. num. 33.* Videndus etiam Pasqualigus *Decisione 455.* Vbi cum Lezana circa modum restitutionis conuenit ex P. Thoma Sancio.

Circa Caput XX. & num. 152.

Vbi de Dominis Inquisitoribus.

99 **O**portere vt Sanctum Tribunal pecuniis abundet pro necessarijs vifibus, & quòd non sit attendendum ad præsentem tantummodò statum, in quo indigentia non est, sed ad futuros euentus, & sic posse pecuniarias pœnas imponi, ex Auctoribus bonæ notæ ostendit Diana *Parte 10. Tractat. 8. Resolut. 8.*

Circa Caput XXVIII.

De duratione Bullæ Cruciatæ, attentâ publicatione, de quâ num. 203.

100 **C**ommunis quæstio est quomodo fit computandus annus durationis Bullæ, cum contingere possit, vt aliquando post elapsum illum, & dies præterea aliquos, atque etiam ante expletum publicetur. An scilicet solaris annus esse debeat, qui & naturalis; an Ecclesiastici adinstar, qui à Paschate in Pascha computari solet, & sic obligatio annuæ Confessionis à Doctoribus multis exponi: ita vt à publicatione in publicatione attendi debeat, siue breuior solari sit, siue longius protrahatur. In quo est diuersitas sententiarum: quidam enim Ecclesiasticum annum esse defendunt, vt P. Henriquez *Lib. 7. Cap. 20. num. 2.* qui in *Glossa Lit. O.* affirmat plures Salmanticenses Doctores Theologos & Iurisperitos ita censuisse, nonnullos referens: P. Escobar de Mendoza Tomo 1. *Moralis Theologiæ, Lib. 7. Sect. 2. Problem. 3.* P. Bardi in *Bullam Parte 1. Tractat. 2. Cap. 6. Sect. 2. §. 1.* Ludouicus à Cruce, Trullench, Antonius Gomez, Villalobos, Ioannes Sancius apud P. Mendum *Disput. 2. num. 5.* Licet horum aliqui id tantum admittant quando computatio dicta fauorabilis est, quia scilicet supra annum solarem dies aliquot excurrunt, non verò cum pauciores sunt. Satis etiam probabilem sententiam istam cenfet

enfer Diana absolute loquendo *part. 1. tit. 11. resol. 91.* in eamque D. Solorz. videtur inclinare *Tom. 2. lib. 3. cap. 25. n. 24.* Oppositam autem cum Emmanuele Roderico, Ludouico Lopez, Vega, Basilio Legionensi, tenet P. Mendus *suprà,* & pro eadem Ioannes Sancius in selectis *Disp. 55. n. 3.* ait posse citari Palacium, & P. Thomam Sancium, Lezana Tomo 3. *verb. Bulla Cruciatæ, n. 5. & alij.*

101 Et sententia quidem ista firmiori videtur fundamento consistere: annus enim absolute dictus solaris designat, vt & aduersantes fatentur, qui solum ad consuetudinè recurrit Commissariorum scientiâ & assensu comprobata. Sed certè dum summi Pontifices annum absolute exigentis consensus non habetur, quidquid aliud præterea adsit, ad necessariam non videtur sufficiens firmitatem. Quis autem de consensu Pontificis certum possit testimonium reddere longius ab his regionibus, in quibus Bullæ est vsus, consistens? Immo nec Commissariorum, quibus circa ampliationem aut breuiationem anni, nihil scimus speciale à Pontificibus attributum. Præterquam quòd consensus talis non est exploratus, cum cum multi negent, sententiam scilicet de solari anno defendentes, qui minime audent se Commissariorum opponere voluntati. Vel si oppositionem non verentur, dum iuxta veritatem se opinari iudicant, non est vt dixi, solidum, quod ex consensu tali adducitur, firmiter. Sciunt illi viros doctos eam tenere sententiam, quæ cum fini concessionis Cruciatæ non videatur esse contraria, rem ita pergere sinunt, vt & alia Pontifices, in quibus opinionum extant varietates.

102 Hoc ergo supposito, & vtriusque sententiæ probabilitate concessâ, circa Indias specialis videtur esse difficultas, in quibus biennium à publicatione in publicationem indultum; cum tamen contingat aliquando ante expletum biennium publicari. An scilicet etiam stante publicatione tali, duret quæ post publicationem antecedentem sumpta est, vsque ad biennij expletionem. Quod quidem cum per annum Bulla conceditur, affirmant Fr. Emmanuel, Vega, Lezana, & Ioannes Sancius, & vt valde probabile amplectitur Diana *suprà Resol. 93.* quamuis annus non sit solaris accipiendus: iuxta hanc enim computandi rationem tantum (vt videtur) habere locum quæstio potest: solarem namque debere esse statuente, consequenter id dicere tenentur, quia in eo est constituta quæstio: licet reuera quæstio etiam esse possit, an stante sententiâ de anno solari, id ita debeat intelligi, vt ultra illum non valeat Bulla; & nihilominus si publicatio ante illum expletum fiat, eo ipso expiret: quia videri alicui potest semper à publicatione annum inchoandum, iuxta tenorem Bullæ verbis illis: *Qui intra annum à die publicationis presentium in singulis locis prædictis faciendâ inchoandum.* Quòd si ex accidenti aliquo ante expletum facta est, vt quia antecedens publicatio seriùs facta, & oporteat ad destinatum pro annis præcedentibus diem reuocari; id non suffragari, quemadmodum non suffragatur sumentibus Bullam post dies aliquot à publicatione, qui absens à loco publicationis fuit, cum id per accidens se habeat. Quod quidem dici etiam non improbabiler potest, licet pro eo *Thesauri Indici Tom. 1.*

desiderentur Auctores. Iuxta priorem autem sententiam loquendo, &c. vt verosimiliori sententiâ, circa biennium difficultas restat; quia pro eo videtur ratio esse diuersa. Ex anno enim nihil detrahi potest, quia sic à Pontifice concessum; fecus autem ex biennio; quia Bulla pro anno concessa est etiam respectu Indiarum, ad quas facta extensio, vt ad partes accessorias Coronæ, de quo Dom. Solorzanus *suprà num. 15. & 16.* quem adducit D. Escalona in *Gazophylacio pag. 240. Lit. B. in margine.* Additio ergo videtur Regi voluntaria, & ita de illâ id detrahi poterit, quod eidem visum fuerit: & eo detracto, obligatio eadem consistere ad breuius spatium coactata.

103 Nihilominus satis apparet verosimile oppositum, & similiter esse sicut de annuali publicatione philosophandum. Et ratio est quia modus dictus publicationis auctoritate Gregorij XIII. stabilitus est, vt ex Breui constat *die 5. Septembris, Anni 1578.* de quo Dom. Solorzanus *num. 31.* & Dom. Escalona *Lit. D.* Vnde similis omnino habenda ratio; quia contra Pontificiam dispositionem iri nequit, neque in substantia, neque in modo. Nec dici potest fuisse priuilegium, & regulam generalem extare quòd priuilegijs vtimur, cum volumus. Re siquidem vera ad Pontificiam voluntatem dispositio est præfata referenda. Si enim Reges nostri id facere possent, non esset cur ad Sedem Apostolicam recursus haberetur: & res ipsa dilucide ostenditur. Nam cum Bulla ita concessa sit, vt singulis annis debeat fieri publicatio, sicut ex eius tenore constat; manifestum relinquitur non potuisse ab eo, cui est talis gratia facta, & à quauis alia inferiore facultate decerni, vt vna Bulla per biennium deseruiret. Licet ergo priuilegijs vtamur cum volumus; in modo tamen vtendi forma est in eisdem præscripta seruanda. Liceat ergo Regibus nostris, vt hoc demus, Bullæ concessionem non vt si tamen vtendum illâ, modus est in concessionem dispositus pœnitè obseruandus.

104 Quibus addendum de Regis voluntate non esse aliter præsumendum, cui voluntas est Commissarij conformis: nam ex praxi iuxta sententiam dictam nihil minus habet: qui enim Bullâ fuerit vsus vsque ad expletum biennium, non ideo aliam sumere desinet post prædictum terminum, quæ quidem vsque ad sequentem publicationem vim tantum habebit, cum annus à publicatione debeat inchoari, iuxta Pontificis declarationem, de quâ *num. 116.* Vnde Bulla post illam sumenda certis debet terminis circumscripti, aliàs nihil erit certum in decursu sequentium publicationum, cum nunquam in illis biennium compleatur. Quamquam & erunt forte qui sentiant inchoandum biennium ab expleto alio, & finiendum post publicationem, sicut de priore est dictum, ob similem rationem; & tunc etiam Regem nihil minus habiturum, quia ob ampliationem illam non desinent Bullam fideles sumere; & dummodo intra tempus publicationis colligatur pecunia, nihil refert quòd aliquantum collectio postponatur, cum eadem tandem sit futura & solent illi circa hoc liberaliores esse, vt nullum ex hac parte incommodum debeat Regia pietas suspicari.

105 Et quia ob ingentem locorum distantiam accedere potest ut publicatio prius fiat Lima, quam Argypoli: dubitari potest an qui Lima Bullam impetit, & Argypolim se transfuit, beneficio Bullae gaudere possit vsque ad publicationem ferius ibi aut alibi faciendam. Circa quod negant Ludouicus Lopez & Fr. Emmanuel apud P. Escobar, qui contrarium tenet cum Ioanne Sancio citata Sect. Problem. 2. qui num. 457. si concludit: *Hanc putarim esse Pontificis intentionem, ne sine culpa, illorum dierum interstirio, cogar tanto bono priuari.* Sic ille, addens statim de peregrinis aliter sentiendum, quod ex Ioanne Sancio desumptum. Sed quidem sui immemor: nam Sect. 1. Cap. 3. contrarium statuerat, ita scribens: *si in Metropoli recipiatur Bulla, & recipiens se conferat ad alia loca, in quibus est potestatem publicatio, respectu recipientis Bullam computatio fiet a die publicationis in Metropoli, in qua Bullam accepit.* Sic ille cum P. Henriquez, quem citat Lib. 2. Cap. 20. §. 2. sed pro Lib. 2. reponendum est Lib. 7. vbi id non dicit, sed ita loquitur: *Bulla Cruciatæ, quæ ad annum concedi solet, non censetur reuocata vsque ad expletum annum: nec paulo post per hoc quod noua Bulla promulgetur in Metropoli eiusdem diocesis, sed in eodem oppido principali, in quo promulgari solet.* Hæc ille, diuerso in casu locutus: in nostro autem cum Ioanne Sancio sentit Trullench quantum ad sententiæ illius probabilitatem, licet ipse contrariam tueatur Lib. 1. §. 1. Dub. 10. num. 5. sicut & P. Mendus, locutus etiam iuxta sententiæ de anno Ecclesiastico Disput. 2. citatæ num. 17.

106 Et iure quidem optimo sic dicendum, quia ampliatio talis nimis est quantum excessiua, & debili fundamento subnixæ, præsumptæ inquam voluntatis Pontificis, ne quis tanto bono sine culpa priuetur: quo argumento etiam dici poterit eum, qui longè distat à loco, vbi publicatur Bulla, neque accedere ad illum potest, sine illius reali sumptione, & solum in voto, illà frui posse. Certè qui sic priuari dolet tanto bono post expletum biennium spatium, si longius absit, sumat illius biennij Bullam pro eo loco decurrentis factis enim exigua est elemosyna, & statibus omnibus accommodata, maioreque solent homines impensas facere pro rebus, quæ minoris incomparabiliter momenti sunt.

Circa Appendicem. §. 4. Difficultate 3. num. 289.

Ubi de opinione probabili in materiâ Indulgentiarum.

107 **I**uat hoc loco circa ea, quæ habet Diana Parte 8. Tract. 11. Resolut. 34. non nihil immorari. Tener ille cum aliis, quos citat, quod & Nos, sed pro contrariâ sententiâ adducit Leandrum à SS. Sacramento, Martinum de S. Ioseph, & Paulum Mariam Quartil. Sed Leander eam tantum proponit ut æquè probabilem, sicut videri potest Tomo 1. Tract. 5. Disputat. 14. Quæst. 164. Fundamenta illius sunt. Primum quia cum circa materiâ & opera Iubilæi

ad sint diuersæ Doctorum opiniones, quæ volentes illud lucrari sequuntur, vix esset qui Indulgentiam obtineret. Secundo, quia cum opinione probabili valide absoluit Sacerdos à reueruatis, iurisdictionem tribuente Pontifices; ergo & ut Indulgentia Iubilæi obtineatur: sic enim est de Apostolicæ Sedis benignitate credendum & argumentum à simili valde est vrgens, ut communiter Doctores tradunt, fauente Iure & Canonico & Ciuili. Verum fundamenta ista parum vrgent. Ad Primum enim dici potest immeritò ex communi sententiâ deduci vix futurum qui Indulgentiam obtineat, cum constet communiter Fideles à Confessariis circa hoc dirigi, vel si docti sint, aut etiam indocti, tenori concessio- nis adherere, & rariùs opinionibus illis uti, ex quibus dubia redditur consecutio Anno 1300. quo Bonifacius VIII. Iubilæum Anni sancti concessit, reuelatum est à Virgine Deiparâ deuoto sibi Clerico omnes Indulgentiam consecutos & viuos, & defunctos; pro quibus potuit applicari. Sic ex Iacobo Gardino habet P. Balinghem in Calendario Virginis die 11. Octobris num. 3.

108 Ad Secundum, non bene ex opinionibus circa iurisdictionem argui: ibi enim de æternâ salute agitur, & durissimum esset damnari aliquem ob non obtentam absolutionem, qui opinionem est secutus probabilem, & iuxta doctorum in Ecclesia Magistrorum, quos Christus iubet audiri, confidenter est & prudenter operatus. Quod in materiâ Indulgentiarum aliter constat accedere, quæ ad salutem necessariâ non sunt. Et quemadmodum, ex eo quod in Pœnitentiâ id Sacramento contingat, quod diximus, non licet illud ad alia extendere Sacramenta, de benignitate Christi sic esse credibile pronuntian- do; ita neque in casu, de quo agimus. Vnde quod additur de argumento à simili, nullius est roboris, quia reuera similitudo non intercedit, ut vidimus. Vel si quidquam probat, in aliis erit validum Sacramentis, quod citati Auctores ne- tiquam admittendum iudicabunt. Pro communi sententiâ stat post alios P. Bulembaum in Medulla Theologiæ Moralit Lib. 6. Tract. 4. Cap. 1. Dub. 4. Artic. 2. num. 13. adducens Bonacinam, Patres Stuarium & Thomam Sanctium. Quidquid in contrarium teneat Verricelli, Tomo 1. Tract. 8. Quæst. 41.

Circa Eadem num. 306. & seqq.

Ubi de priuilegio ad celebrandum in cameris Religiosorum.

109 **D**e illo egerat etiam Diana Parte 6. Tract. 8. Res. 39. vbi & Auctores adduxerat circa potestatem Episcopi ad prohibendam celebrationem; & quosdam qui negent, qui de priuilegio speciali doctorum Canonorum non locuti, pro quo non est difficultas. Illud occurrit addendum, Prouincialem, qui virtute priuilegij dicti in camerâ suâ, nondum post morbum reparatis viribus, celebrabat, iussu à Visitatore ab huiusmodi celebratione desistere, viris doctis consultis, & tenore priuilegij dispecto. De quo à me breuiter dictum,

etum, sed quod satis esse videbatur. Vifus postea P. Verricelli, qui Tractat de Missionibus, Quæst. 135. num. 10. affirmat posse infirmum ipsum celebrare, etiam si infirmitas non sit adeo grauis; si tamen non inde possit exire. Sed ego quod scripsi, scripsi: & fortè citatus Auctor tenorem priuilegij non attendit, sed de eo, ut ab alijs summam allegatur, est locutus. Bene autem cum Diana, & Lezana improbat Pasqualigum, id extendentem ad Religiosos in secularium domibus ægrotantes, quod & à Nobis præstitum.

Circa usum Bullæ quoad reseruatam in Religiosis, de quo num. 314. & seqq.

110 **V**idendus etiam pro eo Diana Parte 8. Tractat. 7. Resolut. 78. vbi alios negantes licere vsum adducit, & absurdam Eusebij de Herrera sententiâ, tum circa prædicta, tum circa absolutionem extra monasterium existentium, apertè conuellit. Quod & generaliter tenet Lezana Tomo 1. Cap. 19. num. 29. Tomo 3. verb. Bulla Cruciatæ, num. 29. & Tomo 4. verb. Opinio, num. 10. vbi improbabilitatem à Nobis assertam statuit. Et Leander Tomo 1. Tractat. 5. Disput. 12. Quæst. 58. testatur se idem firmissimè asserturum, nisi Regia supplicatio, de qua est dictum, obstaret. Sed eertè cum occulta illa sit, & vnus non oculati testis testimonio Auctori præfato nota, quando oportebat esse notissimam, ut ij, ad quos Pontificum Decretum spectat, scirent vti se Bullâ posse, eo non obstante: quibus etiam fauorabilis debuisset intimari responsio, qualiscumque illa fuisset; quorum extat nihil: ex eo equidem nihil habetur, quod ab assertione dictâ debuisset Auctorem istum dimouere. Qui si testi prædicto adeo credit, quomodo sententiâ contrariam certissimam ferè pronuntiat vers. Sed certissimè? Non equidem videntur posse facillè ista componi. Videatur idem Quæst. 61. & quæ de vnico teste habet Parte 4. Tractat. Disput. 15. Quæst. 53. Circa quod & alia addi possent, à quibus abstinco: adducta siquidem videntur negotium planè & plenè conficere; & quibus illa non sufficiunt, neque ampliora, sic in suo obfirmatis sensu crediderim suffectura. Orandus Deus ut mittat lucem suam & veritatem suam, dum nostra sufficit.

Circa reseruatam pro Nouitijs, de quibus, num. 330. & seqq.

111 **P**ro Societatis Nouitijs extat Decretum R.P. Gener. Claudij Aquauitua pro Siculâ Prouinciâ, cum aliis apud P. Bardi in Selectis Lib. 6. Quæst. 21. in fine, ut non liceat contrarium defendere aut consutare eius, de quo num. 331. Pro quo & generaliter stat Lezana Tomo 1. Cap. 24. n. 7. & pro eodem facit quod adducit Diana Parte 6. Tract. 8. Resol. 30. de Teritijs, quæ Religio- sa non sunt, ex R.P. Theodoro Stracio Generali PP. Carmelitarum firmante potestatem reseruationis, quia sunt à iurisdictione Ordinariorum exemptæ, vnde plenè subiant Prælatorum iurisdictioni, & ita possunt per reseruationem earum conscientias moderari. Sic apud Leandrum alij Quæst. 64.

Indulgentiæ stationum an plenariæ, de quo num. 287. & seqq.

112 **N**egat Lezana Tomo 1. verb. Indulgentia, num. 21. etiam pro defunctis, ob stylum Curia, & regulas Cancellariæ, licet oppositum censetur probabile: & quidem licet in prædictis variatio sit nouorum voluntate Pontificum; quoad Indulgentias tamen ne illæ vilescant, & pœnitentiæ cura deficiat, variatio est nulla, nisi fortè ut reducantur ad terminos arctiores.

AD TITVLVM VI.

Circa Caput 1.

Vbi de iuramento Prætorum, pro quo vide num. 109. & 110.

113 **Q**uia Prætores iurant se non exercituros contractus, etiam aliâs licitos, sic illud mente concipient, ut contractus ex se licitos non sint modis illicitis iniuri. Quod si lex fortè sub terminis vrgentioribus feratur de iuramento circa contractus nullo modo exercendos, ad huiusmodi æquiuocationes excludendas, & melius bono Indorum consulendum: erit qui illam obseruet nullus, & ita morum suberit offendiculum conscientiarum, seu petra scandali, & sic à Regum nostrorum valde alienum pietate. Tunc ergo sius etiam erit locus æquiuocationi iuxta dicta citatis locis; & Reges Iustissimi, ac Piissimi satis esse contenti poterunt, si Prætores contractus sine violatione iustitiæ & charitatis prægant, circa id iuramento, quod præstiterint, adimpleto. Vide statim dicenda.

AD TITVLVM VII.

Circa Caput IV. n. 15.

Vbi de intentione iurantis, & an iuxta illam obligatio regulanda, quando lex aliud iubet.

114 **I**uxta intentionem iurantis regulandam obligationem, dictum à Nobis, licet in foro externo proprietatem verborum in communi acceptione iudicandum sit, ut iuxta communem sententiâ proponit P. Azor Tomo 1. Lib. 11. Cap. 8. Quæst. 1. & quia contingere potest Commendatarium iurare reipâ velle, sed non se obligare, obligationem ex eo non confingere, cuius transgressio sacrilegium sit, bene idem explicat iuxta aliorum doctrinam satis probabilem Cap. 4. Quæst. 2. quod & secuti alij. Et hoc in istis, sicut in aliis iurantibus, debet obseruari, inquirendo, dum consulunt pro conscientia componendâ, an obligare se voluerint, an secus. Si enim hoc secundum dicant, etiam si de exclusâ